

Objet d'étude : Justice des dieux / justice des hommes

Sénèque donne une leçon de stoïcisme à son disciple Lucilius.

[2] Nihil vero tam damnosum bonis moribus quam in aliquo spectaculo desiderare ; tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. [3] Quid me existimas dicere ? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior ? immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines
5 fui. Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est : quidquid ante pugnatum est misericordia fuit ; nunc omissis nugis mera homicidia sunt. Nihil habent quo tegantur ; ad ictum totis corporibus expositi numquam frustra
10 manum mittunt. [4] Hoc plerique ordinariis paribus et postulaticiis praeferunt. Quidni praeferant ? non galea, non scuto repellitur ferrum. Quo munimenta ? quo artes ? omnia ista mortis morae sunt. Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiciuntur. Interfectores interfecturis jubent obici et victorem in
15 aliam detinent caedem ; exitus pugnantium mors est. Ferro et igne res geritur. [5] Haec fiunt dum vacat harena. « Sed latrocinium fecit aliquis, occidit hominem. » Quid ergo ? quia occidit, ille meruit ut hoc pateretur : tu quid meruisti miser ut hoc spectes ? « Occide, verbera, ure ! Quare tam timide incurrit in ferrum ? quare parum
20 audacter occidit ? quare parum libenter moritur ? Plagis agatur in vulnera, mutuos ictus nudis et obviis pectoribus excipiant. » Intermissum est spectaculum : « interim jugulentur homines, ne nihil agatur. » Age, ne hoc quidem intellegitis, mala exempla in eos redundare qui faciunt ? Agite dis immortalibus gratias quod eum
25 docetis esse crudelem qui non potest discere.